Verbum caro factum est,
et habitavit in nobis.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Ioánnem 1, 1-18

1 In princípio erat Verbum,
et Verbum erat apud Deum,
et Deus erat Verbum.
2 Hoc erat in princípio apud Deum.
3 Omnia per ipsum facta sunt,
et sine ipso factum est nihil, quod factum est;
4 in ipso vita erat,
et vita erat lux hóminum,
5 et lux in ténebris lucet,
et ténebræ eam non comprehendérunt.

6 Fuit homo missus a Deo,
cui nomen erat Ioánnes;
7 hic venit in testimónium,
ut testimónium perhibéret de lúmine,
ut omnes créderent per illum.
8 Non erat ille lux,
sed ut testimónium perhibéret de lúmine.

9 Erat lux vera,
quæ illúminat omnem hóminem,
véniens in mundum.
10 In mundo erat,
et mundus per ipsum factus est,
et mundus eum non cognóvit.
11 In própria venit,
et sui eum non recepérunt.

12 Quotquot autem recepérunt eum,
dedit eis potestátem fílios Dei fíeri,
his, qui crédunt in nómine eius,
13 qui non ex sanguínibus

neque ex voluntáte carnis
neque ex voluntáte viri,
sed ex Deo nati sunt.

14 Et Verbum caro factum est
et habitávit in nobis;
et vídimus glóriam eius,
glóriam quasi Unigéniti a Patre,
plenum grátiæ et veritátis.

15 Ioánnes testimónium pérhibet de ipso
et clamat dicens:
«Hic erat, quem dixi:
Qui post me ventúrus est,
ante me factus est,
quia prior me erat».

16 Et de plenitúdine eius nos omnes accépimus,
et grátiam pro grátia;
17 quia lex per Móysen data est,
grátia et véritas per Iesum Christum facta est.
18 Deum nemo vidit umquam;
Unigénitus Deus,
qui est in sinum Patris,
ipse enarrávit.

Verbum Dómini.